Bibliothèque numérique

medic@

Bazin, Denis - candidat / Chasles, Hugues - président. - An Epilepsia hydropi superveniens lethalis ?

1629.
Paris
Cote : ms 75 n°741

(c) Bibliothèque interuniversitaire de santé (Paris)
Adresse permanente : http://www.biusante.parisdescartes.fr/histmed/medica/cote?ms00072_ms00080x04x0741

QVAESTIO MEDICA,

QVODLIBETARIIS DISPVTATIONIBVS MANE DISCVTIENDA IN SCHOLIS MEDICORVM,

DIE MERCVRII V. DECEMBRIS, M. HVGONE CHASLES DOCTORE MEDICO MODERATORE.

An Epilepſia hydropi ſuperueniens lethalis?

MORBVS vera & genuina malè affectarum partium ſoboles, nequicquam in ſpiritibus aut humoribus locum habet, ſed in iis tantùm, quorum vt actio lædi, ſic & iis propria & determinata partis conditio poteſt conuenire: Hinc vulgata illa & prima morbi diuiſio in ſimilarem, organicum, & totius compoſiti, prætermiſſis materiæ & formæ affectibus: qui nullatenus ab his diſtinguuntur. Sunt & aliæ morborum differentiæ, quarum habitâ ratione alij certarum partium dicuntur proprij per [illegible], alij ſolâ conſortij lege contracti per [illegible], à qua morbos per conſenſum penitus diſtingui tam certum eſt, quam eoſdem in ſolis animalibus actionibus locum obtinere: Quin & aliquando morbi dicuntur vni, multiplices, ſimplices, compoſiti, connexi, diſiuncti: Sunt item & proprij eorum mores [illegible], motus, periodi, à quibus modo parui denominantur, modo magni, vel primo per ſe & ſua eſſentiâ, vel ratione cauſæ, vel ratione partis affectæ, vel demum ob ipſorum ſymptomatum vehementiam; modo acuti, quorum vel cita mors, vel cita criſis: modo tardi, à quibus longi æquè diſtinguuntur, quam breues ab acutis. Dicuntur & alij ſporadici, Epidemij ſimpliciter, Epidemij pernicioſi, Endemij, Pandemij, Pancoini, ex quibus ij fermè omnes lethales ſunt, qui naturæ calorisque imbecillitatem, humoris ſeu materiæ morbificæ contumaciam, eiuſque ad internas & nobiliores partes [illegible] conſequuntur.

LICET enim [illegible], quod nimirum natura, vel à primigenio morbo ſatis ſuperque debilitata, ſæuiſſimis ſecundarij inſultibus ferendis nullatenus ſufficiat, ipſaque prius à ſecundario morbo obruatur, quam primarij concoctionem abſoluerit: certum tamen eſt deteriorem eam eſſe humoris [illegible], quæ fit è nobili parte in nobiliorem: quippe quam vt plurimum & naturæ imbecillitas, & humoris contumacia conſequatur: quùm enim hæ partes longiori tractu à ſeipſis diſſideant, fieri non poteſt quin labes & ad partes item alias pertineat, priuſquam principem inuaſerit: vnde vel ab ipſa vicina parte in eiuſdem affectus communionem vocatâ, mali fomes foueatur, ſicque nulla ſpes ſalutis maneat proſtratis, & afflictis ægri viribus, totius corporis ſubſtantia ad morbum vergente, ipſaque natura non iam morbi, ſed vniuerſi, vt ita dicam, ſolutionem moliente. Quùm enim duplex tantum ſit morborum ſolutio, aut ea quæ fit per [illegible], aut ea quam natura neutiquam ſola aut præcipua morborum medicatrix per [illegible] molitur, dum humores coquit, ſecernit, excernit: fit vt neutra ad eos morbos pertineat, quum vtraque & caloris ſeu naturæ robur, & humoris morbum committentis facilem coctionem, eiuſdemque ad externas & ignobiles partes, os, aluum, veſicam, communeſque morborum omnium ſolutioni dicatos receſſus ſecretionem arguat; prioris defectu morbi peſtilentes quanquam acutiſſimi, criſim tamen vt plurimum non experiuntur: poſteriorum demum inopia nec tam facilè iis accidit [illegible].

EPILEPSIA morbus magnus, Chronicus, Organicus, Herculeus, & falsâ opinione facer vocatus: cuius vt [illegible] eſt puerilis ætas, ſic & [illegible] pubertas cenſenda eſt, necnon & quartana febris: ſenibus ſemper infeſta, vere periculoſior, ouium & caprarum propria, vnde fit vt Libes vix vlla tempeſtate ab ea ſint immunes, dextram potiſſimum capitis partem occupat, vt materiam ſeu cauſam ſortitur humorem craſſum, viſcidum, frigidum & glutinoſum, ſic Lunæ motibus ſuarum acceſſionum acceptas refert periodos; ita tamen vt nullatenus humorem ſola quantitate peccantem vnicam huius cauſam eſſe ſtatuamus. Sed & venenatam quandam auram, aut à lumbricis computreſcentibus excitatam, aut ab eſculentis potulentiſque vitiatis genitam, aut demum à vario viuendi errore, huic aliquando in cerebro ſuccenturiari, aut ab aliâ quauis parte deuehi neceſſe ſit. In eo affectu nullatenus ipſi ventriculi penitus obſtruuntur, vt in apoplexia: ſed vniuerſa aut cerebri, aut ipſorum ventriculorum ſubſtantia, aut ab humoris quantitate opprimitur, aut ab alterius cuiuſuis corporis maligna facultatique animali inimica qualitate prouitatur. Hinc non contemnenda ſequitur totius corporis virium iactura, affecto vt ſenſus & motus, ſic & cæterarum functionum principio, interclusoque aut ſaltem non ita libero ſpiritibus animalibus aditu, ſine quorum influxu vt nec moueri datur, nec ſentire, ſic nec viuere vlli hactenus fas fuit. At vero quum hydropi ſuperuenit (qui eſt affectus quem aquoſi humoris copia comitatur trium coctionum vnâ vitiatâ) huicce caloris naturæque imbecillitati, materiæ contumacia accedit ad ægri perniciem; quod nimirum & cauſæ ipſius propagantis hydropem, & propagati hydropis ſymptoma ſit [illegible], ita vt contumax & refractaria materia, nec dum ab ipſo naturali hepatis calore ſuperata, tandem infimas & ignobiliores regiones deſpiciens, æquâ ſolitaque victorum lege primarias & nobiliores affectet.

CVM enim triplex ſit hydropis differentia, is nempe qui primæ coctionis vitium ſequitur, vulgo Tympanites vocatus, aut qui ſecundæ, qui aſcites dicitur omnium peſſimus, aut denique qui ab ea quæ in corporis habitu fit emanat, leucophlegmatias dictus omnium ſecuriſſimus; fit vt ex omnium materiâ ſeu cauſa continente epilepſia poſſit propagari, eaque præcipuè quæ per [illegible] cerebrum afficit: Ex cuius propagatione ea caloris natiui in principibus potiſſimum partibus deliteſcentis imbecillitas ſequitur, vt dum cerebro quod ſibi noxium eſt excutere conanti ſuppetias ferant, ſuorum operum vt plurimum obliuiſcantur; violentoque eius motu citatæ naturalibus functionibus obeundis nequicquam ſint idoneæ. Verumenimuero dum cerebrum facultatem animalem arctius fouet, vt ab irruentis & maligni humoris impetu tuta ſit & ſecura, in cauſa eſt cur in alijs corporis partibus eadem ferietur: vnde ægri neq; vident, neq; audiunt, neq; aliter omnino ſentire poſſunt, ſed facultate priſtinâ deſtituti muſculi, vrinam, ſtercus, & ſemen quaſi reſoluti profundunt: haud ſecus, ac in timore vitali facultate ſeſe in ſuam ſedem recipiente, functionum vitalium in cæteris partibus quies eſt & ceſſatio. Hinc deprauata ventriculi actio, cuius vitium ab hepate emendari non poteſt, quum nec ab ea calamitate ſit immunis, vnde ab eius [illegible], quod vltimum erat ægri malis adijciendum, ita vt quæ hydropis critica eſſe ſolet diarrhœa, eadem ſuperueniente epilepſiâ funeſta ſit & ſymptomatica, quod neque naturæ viribus ſuſcepta, neque humoris morbifici pepaſmum arguat, vſque adeo omnia conſpirant in ægri caſum & ruinam. Nec mirum, quum hepar iam tum viribus inferius, materiam procul à ſe tanquam inutile pondus, in nobiliorem partem amandarit, nec quicquam ei ſuppeditare valeat, cuius beneficio nouas colligens vires humori concoquendo ſatis eſſe poſſit.

IAM tum ſi inflammatio pulmonis morbo laterali ſuperueniens lethalis ſit, quod humor nobiliorem partem occuper; ſi diarrhœa pleuritidi ſuccedens ſit [illegible], quod vires ſoluat, ſicque [illegible] prohibeat: ſi in febribus acutis mortem denunciant conuulſiones, quod incendij vim & propagationem arguant: ſi denique aquâ intercutem laborantibus tuſſis [illegible] mala ſit, quod aqua humiditas vſque adeo aucta ſit, vt iam aſperam arteriam permeet; iis profectò nominibus Epilepſia hydropi ſuperueniens, funeſta eſt & lethalis: Hydrops enim ſanabilis careat oportet illis vitiis, vnde aqua ſubinde enaſcitur, quod neutiquam euenit dum huic adiungitur Epilepſia, à qua perennes & inexhauſti illius aquæ molis fontes deriuãtur. Hi enim duplices omnino ſtatuuntur, aut impedimentum functionis hepaticæ, aut demum alienatio virtutis ſanguificæ, per [illegible], ex quibus quam neceſſario ſequatur [illegible], in ſanguinis locum aqua, feroſa, aut biliosa materia ſufficiatur neceſſe eſt, quæ quidem quum inutilis ſit partium omnium nutritioni, dum longiori mora in hepate vicinisque locis reſiſtat & ſtabulatur, viſcerum corruptionem affert & hydropem accelerat. At vero duplex hæc cauſa vſque adeo ab Epilepſia hydropis ſuccedanea fouetur & confirmatur, vt duo illi affectus per ſe quidem grauiſſimi, mutuis certare videantur auxilijs in ægri perniciem: ita vt nullum maneat vitæ ſperabilis indicium, quum [illegible].

Ergo Epilepſia hydropi ſuperueniens lethalis.

Proponebat Lutetiæ DIONYSIVS BAZIN Pariſinus, A.R.S.H. M.DC.XXIX.

DOMINI DOCTORES DISPVTATVRI.

M. Ioannes Complainuille.	*M. Lazarus Pena.*	*M. Ioannes Couſin.*
M. Georgius Ioudowyn.	*M. Iacobus Couſinot M. & P. R.*	*M. Hieronymus Goulu.*
M. Dionyſius Allain.	*M. Petrus Beaurains.*	*M. Henricus Blacuod.*